



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Andreas Corsinus. 6. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti Magi magnis itineribus Bethlemium contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter se Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinẽ, necesse, orbasque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus dolos dolis texit, &, ut noceret, amare se finxit, ut perimeret adoraturum se hostem eriam ipse promisit. Subhæc à Magis, sifidere iterum anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi confidens stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Extemplò ingrediuntur, Regumque Regem in throno suo præsepi, sapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam aliam in regna avita dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantẽ Herodẽ delusit. *Ex hist. Evang.*

Sicut Magi de thesauris suis Mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. S. Leo f. 2. de Epiph.

S. ANDREAS CORSINUS.

6. Januarii.

ANDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cum illi prius eundem ex voto necdum natum eidem donassent. Videbatur

B 2

sib

sibi mater utero lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gratissimâ metamorphosi in oviculam abiret. Oraculum fuit non somnium. **CORSINVS** etenim adolescens nonnihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, pòst tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit: à quâ necquidquam eum abducere adnissus est veterator callidus, quamvis nobilem mentitus vultum, quamvis opulentum oppidò conjugium pollicitus. Primùm litanti augustissima cæli Regina visendam se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitute, ad hanc à me delectus*. Posthac Præsul nominatus Fesulanus, cum fugâ se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer, nescio quis, cum sacro fonte ringeretur, **ANDREAS** lacrimas frequentes affudit: rogatus causam, respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patrię exitionatum; id quod reapse postea urbs credidit, cum vidit. Cum annum deinde ageret **LXXI.** ipso **CHRISTI** nascentis pervigilio egregius servus a Domina suâ vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famâ percelebris, per scalas vidit cælum conscendere; puto ne ullus **VIRGINIS** amator dubitet eodem conniti, quando scalas habet. *Ex Surio.*

*In Ecclesiam ingredi, ubi Christus discumbit, tuumq; præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus provolvere Domini **JESU**; confitere scelera, deterge vulnera, reatum accusa, sponde conversionem, pete veniam, ut plenam consequaris indulgentiam.*
Laur. Just. in sermonib.